

Q. N. 405, 6

X 1904056

19

No 35

Q. B. V.
DISSERTATIO
DE
IMAGINIBUS
REGIONUM,

Quam
PRÆSIDE
M. CHRISTIANO HENRICO
AMBDERS,
Schlesw. Holsato,

Eruditorum disquisitioni submittit
GEORGIUS RIVIUS,
Rotenburgo-Francus.

D. Decembris, MDCXCI.
In Auditorio Minori.



WITTENBERGÆ,
Typis MARTINI SCHULTZII



013

14



9630

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





§. I.

Quam liberam fingendi potestatem sibi sumserint Poëtae in describendis fluminibus; exili quadam commentatione ingenii & voluptatis causa exposui. Nunc verò quam ingeniosis coloribus Orbem Terrarum ipsum depinxerint volupe est contemplari. Cum enim *Geographia* quaedam sit *μικροῖς τῆς Νοτιοανατολίας*, ceu Ptolemaeus libros suos de *Geographia* orditur, & verò non minima picturae pars omnium consensu ad Poësin referatur; non adeo pravum ac perversum fuerit arbitrari, plurimum Lucis à Poëtis Carminumque Authoribus *Geographiae* affundi.

§. II.

Ipsam Tellurem si intueamur initio, conspicuum maximè festumque divinitatis Theatrum illa Poëtis habetur. Namque culta quondam fuit *Rheæ* nomine, Saturno in matrimonium collocatae; cum verò Saturnus Mythologorum judiciò non alius quàm Noachus sit, qui in S. literis *Vir terræ* i.e. agricola vocatur, (planè ut *Vir brachii* robustum, *Vir sanguinis* sicarium vel homicidium, *Vir Verborum* disertum notat) ita à Paganis accepta hæc Phrasis fuit, ac si Tellurem Deam ille duxisset in uxorem. Hinc & à fovendi gignendique beneficio *Magna Mater* vocatur, quæ tympana exhibens, indicat Terræ rotunditatem, sedens verò, reliquis circum circa commotis, stabilitatem innuit ac quietem; turres in capite gestans oppida & arces notat, quæ

964
quæ Orbi imponuntur ceu ex Varrone adducit *August. lib. VII. de Civit. Dei cap. 24.* Cui accinit *Maro lib. X. Æn. v. 250.*

*Alma Parens Idea Deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque Urbes.*

Lucretius in secundo.

*Muralique caput summum cinxere corona,
Eximius munita locis, quod sustinet urbis.*

Ovidius lib. IV. Fast. v. 217.

*At cur turrisera caput est onerata corona?
An primus turres urbibus illa dedit?
Annuit.*

Sacra hujus *Magnæ Matris* administrabant Corybantes i. e. Sacerdotes, qui quodam furore correpti, cymbala pulsabant, capitaque inter saltandum jactantes, alios in similem rabiem agebant. Vid. *Horat. lib. I. Od. 16* *Virgil. Æneid. l. X. v. 206.* Tum & *Terræ* superius *Hemisphæriū*, cujus partem incolimus, *Veneris* appellatione coluerunt, inferius autem *Proserpinam* vocarunt, rationem vid. apud *Macrob. lib. I. Sat. 21.* Plura ejus Simulacra *Augustinus c. l.* allegat: *Tellurem*, inquit, putant esse *Opem*, quod opera fiat melior, *Matrem*, quod plurima pariat, *Magnam* quod cibum suppediet, *Proserpinam*, quod ex ea proserpant fruges. *Vestam*, quod vestiatur herbis. Sed concludit tandem: *Unius ista multa nomina sunt, nec tam Deæ multæ quàm nomina.*

§. III.

Jam *Telluris* cultissimam partem *Europam* contem-
plor, illam humanitatis & politioris literaturæ sedem, al-
tricemque *Græcorum* juxta & *Romanorum*, qui longè late-
que Imperii sui limites promoverunt. Tametsi enim *He-
rodot. lib. IV. p. 55.* statuatur, neque unde hoc nomen acceperit, neque
quis nominis *Author* extiterit, ab aliquo *Mortalium* compertum es-
se. *Natales* tamen *Vocis* in *Mythologia* se reperisse pu-
tat *Ptolemæus*, quando *Europæ* *Cadmi* *Sororis* imagine
hanc

963.

hanc Terram celebratam fuisse scribit in *Geograph. lib. II. p. 35.* Ferunt autem Mythologi, hanc Europam tam mira pulchritudine præstantiaque corporis præditam fuisse, ut omnes facile ævi sui Mulieres fuerit super gressa, Jovem verò quo facilius amore illius potiretur, in pulcherrimum Taurum conversum, ad littus maris, quo Europa cum sociis Virginibus ambulare consueverit, se recepisse. Hæc itaque pulchritudine hac Tauri allecta, illum primo manibus palpare, ac conscendere demum non dubitavit, quo facto per mare in Cretam ab hoc Tauro deportata fuit. Quanquam verò ejusmodi transmutatio Jovis nunquam contigerit, tamen, prout cum omnibus fabulis comparatum esse constat, non res ipsæ, quæ describuntur effectæ sunt, sed ingeniosis quibusdam verique similibus Poëtarum coloribus obductæ. Cum palmarium eorum officium juxtà *Lactant. lib. I. de falsa relig. c. XI. in eo consistat, ut quæ gesta sunt verè, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducant.* Jupiter enim ille, non qui inter Deos Gentilitios agmen ducere fingitur, sed Rex Cretensis fuit: consuevit enim fabulosa vetustas, Jovem, si Historiam spectes, Regem terrestrem, si Theologiam gentilem, cœlestem appellare. Historia Regem vel Orientis vel Cretæ facit, Theologia Regem universi mundi. Hic itaque ope Piratarum Cretensium hanc è Patria ditione subduxit, cujus de Sepulchro quoque in Creta adhuc aservato, quædam apud *Lactant. l. c.* occurrunt, *Virgil. lib. IV. Georg. v. 152.*

Dictæo cœli Regem pavere sub antro.

Dicta fuit Europa Phœniciorum lingua λευκοδενδρον seu pulchrâ facie coruscans. Ferunt enim Junoni pigmentum surreptum, quo peruncta faciei splendorem conciliavit, & Europæ Phœnicis filia datum fuisse, observante, *Boscharto in Phæleg. p. 337. § 456. Unde Propert. lib. II. p. 230. vers. 5.*

A 3

Sunt

*Sunt apud infernos tot millia formosarum,
 Pulchra sunt in Superis scilicet una locis.
 Vobiscum est Jope, vobiscum candida Tyro,
 Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë.*

Quæ sanè cum Europa nostra mirificè congruunt, cum Europæos constet Africanos candore facili multum superare, multoque cultiores aliis gentibus ac formæ studiosiores esse, perhibentur. *Ptolem. in Geograph. Part. II. p. 77.* Cadmi verò Soror fingitur, quod Græcia, in qua regnabat Cadmus, (Thebanorum enim Rex erat,) cum reliquis Europæ partibus confinio terminabatur. Unde Scriptores Græciam appellaturi, Europam nonnunquam nuncuparunt, ut cum *Catullus* ait, *Epigram. ad Mallium vers. 89.*

*Troja nefas commune Sepulchrum Europe Asiæque,
 Stat. Achilleid. lib. I. vers. 397.*

*Intereâ meritos ultrix Europa dolores,
 Dulcibus Armorum furis, & supplice Regum
 Conquestu flammata movet.*

Virgil. lib. X. Æneid. v. 90.

*— — — — — miseris qui Tros Achivis
 Objecit? que causa fuit consurgere in arma
 Europam Asiamque, & fœdera solvere furto.*

Thasiorum verò, qui è Tyro & reliqua Phœnice oriundi ad Europam quærendam simul Classe profecti sunt teste *Pausan. in Eliacis p. 399.* ideò mentio injicitur, ut intelligas milites simul lectos, & in aciem eductos fuisse. In Deorum quoque numerum relata Europa fuit, & Astartes nomine à Sidoniis culta, quam *Huetius* ad Ziporæ imaginem detorquet, argumentis tamen, ut mihi videtur, haud sufficientibus, in *Demonstr. Evang. cap. X. propos. IV.* Sed quæ Poëtarum libertas est, Deam effinxerunt Regionem, cum Re-
gem,

907.

gem, illius Dominum, quoque Deum facerent. Hunc enim & Asteriū fuisse appellatum, haud dubium est. Vid. Voss. in Theolog. gentili lib. I. p. 113. 170. Quod verò Jupiter Cretensium Rex ad littora Maris descendisse, & Tauri assumptū formam perhibetur, Insigne navis allegatur pro navis ipsa, (quoniam in usu quondam habuerunt, ut in aliis rebus sic quoque in navigiis jumentorum imagines depingere) ut eventus videretur ταυρατωδέσει & Poëta muneri satisfaceret. Hinc mare fulcatum à Tauro legitur apud Stat lib. VII. Thebaid. vers. 229.

Hi Mare Sidonium, manibusque atrūa Tonantis

Cornua, & ingenti sulcatum Nerea Tauro.

Et rursus imago Tauri abjecta esse dicitur, cum Jupiter ille deportatus fuisset in Cretam. Vid. Ovid. lib. III. Metam. vers. 1.

Jamque Deus posita fallacis imagine Tauri,

Se confessus erat, dictæque rura tenebat.

Dubium quidem Ptolemæum habet, quod ex Asia fingatur rapta, neque in hanc Terram Europæam transvecta fuerit, in Geograph. lib. II. p. 35. Verum potuit Agenor Rex Phœnicæ, eo tempore, insignem Europæ partem possedisse, ex cujus manibus erepta sit. Cui conjecturæ fidem conciliat Diodorus lib. V. c. IX. cum Phœnices, ait, multarum in his Europæ partibus, que ad occidentem vergunt, coloniarum auctores esse factos. Cretam verò ad Europæ partem relatum quondam esse Geographi testantur, & ipse quoque Ptolemæus c. l. suffragatur.

§. IV.

In Europa dum sumus, Hispaniam contemplari libet, quam à Pane, Pastorum Venatorumque Deo nominatam putat Natal. Comes Mythol. lib. V. p. 455. Sed idoneo antiquitatis testimonio destituitur, nec ullos impetrat sententiæ suæ suffragatores. Adeo autem hæc Terra Poëtarum figmen-

figmentis obtegatur, ut propemodum iisdem videatur
immerfa. Hic enim Maris & Terræ Terminum consti-
tuere. Vid. *Lucan. lib. IV. Pharsal. vers. 1.* *Claudian. lib. III. de*
Laud. Stilic. vers. 147. *Horat. lib. I. Carm. Od. 36.* Hic Columnas
veluti Terræ fines posuisse Herculem ferunt. Geryonem
item Tricorporeum (Trium Hispanicarum Insularum Re-
gem) ab Hercule deinceps prostratum *Sen. in Hercul. fur. Act.*
II. v. 230.

*Inter remotos Gentis Hesperiae greges,
Pastor triformis littoris Tartæ sui
Peremptus.*

Quin & Solem hic videri *ἐκατονπλασίονα* i. e. centuplo ma-
jorem, quam alibi apparet, & in ipso occasu stridorem e-
dere credunt. *Quasi strideret Pelagus, cum extinguitur Sol, in*
abyssum demersus, ut est apud Apollon. lib. V. cap. I. Poëtarum
loca cum abundè suppetant, non adduco, miror autem,
Strabonem ipsum in hanc sententiam fuisse allectum. *lib. III.*
p. 138. imò *Florum* quoque *lib. II. cap. 17.* Poëtica hujusmodi
Phrasi usum, ut, quin idē crediderit ille, dubitari vix possit:
Decimus Brutus, inquit, non prius signa convertit, quam caden-
tem in Mare Solem, obrutumque aquis ignem, non sine quodam Sa-
crilegii metu & horrore deprehendit. Ut strictim imaginem,
Hispaniæ sistam nummum intuebor antiquum, eundemq;
ex Mythologia illustrabo. Conspicitur ille in *Antonii Au-*
gust. numism. p. 41. ejusmodi facie: Fœmina comparet sedens
humi dextra montibus Pyrenæis innixa, læva verò oleo-
ramum tenens, cuniculo ad pedes asfidente. Jam humi
sedentem ac in montibus Pyrenæis quiescentem fœmi-
nam, ego pacis indicium interpretor. Hinc *Juvenalis Prin-*
cipem angusta in rupe sedentem, vocat illum, qui nihil bellica-
rum & virilium rerum agit. *Sat. X. vers. 93.* Et *Stat. lib. VII.*
Thabaid. vers. 19. de Victoribus ex bello reversis inquit,
quod

Sedeant ad busta Sepulchri. Nec

96907c

Nec quis quam Veteris rei adeò ignarus est, ut ex *Livii lib. XXIIIX.* compertum non habeat, Hispaniam jam inde à Punico Bello II. ad Augusti Cæsaris usq; Imperium in tranquillo placidoque statu mansisse, nec superari à Romanis ita facile potuisse. Cæterum Oleæ ramus, quem Matrona protendit ubertatem Olei designat, qua illa adeò abundavit, ut ad Romanos quoque efferretur. Unde *Claudian. lib. II. de Laud. Stilic. vers. 228.*

- - - *Glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque in texta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania Voces.*

Et *Stat. lib. II. Silv. VII. vers. 29.* de Bœtica Hispaniæ Provincia dicit :

- - - *fertiles Athenas
Unctis, Bœticâ provocas trapetis.*

Vid. *Barth. in h. l. p. 250.* Denique ad pedes Cuniculum Moneta exhibet, qui præcipuus Hispaniæ character est. Quare *Catullus* partem ejus *Celtiberiam, cuniculosam* appellavit. Olim enim ita frequentes fuisse has bestiolas ferunt, ut intactum nihil relinquerent, nec radicibus solum & seminibus exitium afferrēt, sed & Oppida ipsa continuis suffosionibus everterent. Quin & vicinis Balearibus ita infestæ fuerunt, ut ab Augusto coacti sint milites deposcere, quibus se adversus hæc animalcula tuerentur. Vid. *Ælian. de Animal. lib. XIII. c. XV. Plin. lib. VIII. c. LV.* Quibus causis inductus *Bochartus* ab Hebræorum Voce *צנצנ*, quæ *Cuniculum* notat *Spanijam* dictam esse seu Regionem *cuniculosam* in *Phaleg. p. 190.* Si conjectandi mihi cederetur provincia, dicerem potius, Cuniculum innuere Fossores Metallicos, quos hæc Regio tam copiosos semper aluit, ut verè dicantur radices & firmamenta Urbium attrivisse. Ideò *Statius lib. VI. Thebaid. v. 877.*

- - - *Hand aliter collis Scrutator Iberi,*

B

Cum

970

Cum subiit, longeque diem vitamque reliquit,
Si tremuit suspensus ager, subiitque fragorem
Rupta dedit Tellus, latet intus Monte soluto
Obrutus, ac penitus fractum obductumque Cadaver
Indignantem animum propriis non reddidit Astris.

§. V.

Nunc ex Hispania in Galliam contendimus, cujus si ex-
cutias Origines, haud possunt illæ, quam ex Poëtarum
fabulis, svavius hauriri. Constans enim fama est, Her-
culem, devicto Geryone (*Justin. lib. XLV.* tradit, armen-
ta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur,
tantæ famæ fuisse, ut Herculem ex Asia prædæ magnitu-
dine illexerint) ad Gades & hinc in Galliam concessisse.
Unde est quod ipsum nomen *חרלח*, quod Phœniciorum
lingua crocum designat, Gallis nomen indidisse non-
nulli asserant, ideò quod plerisque, qui cum Hercule huc
profecti erant colorem capilliceï, flavum aut croceum seu
rutilum fuisse existiment, quoniam vicinioris sideris fer-
vor illos ita exusserit. Lucianus de Hercule isto peculia-
ri libro agit, & Ogmiona cognominat: *Ἡγεκλέα ἢ Κέλτοι*
Ὀγμίον ὀνομάξασι Φωνῆ τῆ Ὀμπρωία. Ogmion autem nihil
aliud quam barbarum & peregrinum interpretatur *Bo-*
chart. in Phaleg. p. 737. An igitur fabulis est accensendum,
quicquid Veteres tanto consensu de Herculis in Hispani-
am & Galliam expeditione tradunt? Non puto. Hercu-
lem enim Vetustas non alium quam Heroëm aut Virum
fortem dixit, eaq; imagine Invasoris alicujus & Victoris
Virtutes depinxit. Vid. *Voss. de Orig. & Progressu Idolol. lib. I.*
p. 268. Adeò vix reperies Gentem Antiquitate Famaque
rerum gestarum celebrem, quæ non & suum coluerit Her-
culem, præclaraque de illo prodiderit. Hinc prisca Cel-
tæ suum Herculem Ogmiona, Cimbri Tuisconem, vel ut
ex Taciti vetusto Codice notavit Lipsius Bisconem, Æ-
gyptii

971.
55c

gyprii Chonem, Indi Dorfanem ac Gigantem appellantur. Itaque *M. Varro* Hercules supra quadraginta recenset, alii plures, non nisi ex rebus gestis distinctos. Vid. *Pighius Campensis in Herc. Prodicio p. 7. seq.* Jam nihil certius est, quam ex Phœnicia in Hispaniam colonias esse ductas, cum Carthaginenses Gaditanique Phœnicum sint coloni, ibidemque substituisse Herculem, i. e. Coloniarum Ducem. Hinc verò ex Hispania protulisse pedem, & Gallias invasisse. Indicio est acerrimum illud prælium inter Herculem & Ligures circa Rhodani ostia, cujus præter Poëtas & Historicos, etiam Astronomi meminere, illiusque in Cælo illustre esse monumentum voluerunt. Ajunt enim signo Herculis ἐν γόνασι Herculem exhiberi, præ lassitudine flectentem genua in pugna contra Ligures. Vid. *Hygin. lib. II. Astron.* Idem è Gallia in Italiam redisse dicitur per Pyrenæos & Alpes, & illud confirmant Geographi, Gallos, cum multitudine hominum laborarent, nec seipso ferrent amplius, trecentis millibus contractis, Alpes transgressos juxta Padum confedisse. Deinde Illyricum Pannoniam & florentissimum eo Seculo Græciæ Tractum invasisse, nec Europæ solum jam laboranti, sed & Asiæ terrori fuisse. Vid. *Ubb. Emmi Chronol. l. V. p. 185. & Joach. Vadian. in Galatia p. 406.* Cæterum Herculis Gallici imago Poëtica universam Galliæ naturam exprimit. Fingitur ille à Luciano traxisse ingentem hominum multitudinem ab auribus revinctam. Quod argumentum est ductarum coloniarum & rei militaris, qua semper illa Natio excelluit. Quare *Claudian. in Rufin. lib. II. v. 110.*

Inde truces flavo comitantur vertice Galli.

Et Stilicon. Panegy. II. v. 240.

*flava repexo
Gallia crine ferox.*

Lucano lib. I. v. 307. Gallorum populi feroces appellantur.

150
972

Deinceps eundem ferunt provinculis catenulis ex auro
& electro confectis per linguæ extremitatem insertis u-
sum, ut hac illac homines traheret. Quod eloquentiæ
fuit Symbolum, quam summo semper studio excolue-
runt. Hinc Porcii Catonis testimonium in Origin. Pleraque
Gallia duas res; industriosissime persecuta, rem militarem & argute
loqui. Cui planè geminus est Hieronymi locus ad Vigilan-
tium: Gallia & Viris semper fortissimis & eloquentissimis abunda-
vit. Demum dicitur hic Hercules Galatam Filium sus-
cepisse, i. e. flavi coloris homines, & in rufum colorem ex-
ustos: tales autem esse Gallos & experientia probat & Poë-
tarum testimonia firmant. Sic Lucan. lib. X. de Cleopatra
Ministris v. 129.

— pars tam flavos gerit altera crines,
Ut nullas Cæsar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas.

Et Silius lib. IV. de Sarmen-
te Gallo:

Occumbit Sarmens, flavam qui ponere Victor
Cæsariem, crinemque Tibi Gradve vovebat,
Auro certantem, & rutilum sub vertice nodum.

§. VI.

Properamus verò ad Germaniam, quæ Teutiscia vel
per aspirationem Theutiscia appellatur, nō secus ac à Tus-
cis Latinis ortum est Regionis nomen Tuscia. Multa hic
dicenda forent, de Theuto Germanorum Deo, qui apud
illos Mercurii locum sustinuit. Sed quid Germanis cum
Mercurio inquires? quos Tacitus de Mor. Germ. c. IX. dicit,
nec cohibere Parietibus Deum nec in ullam humani oris speciem as-
similare. Verum non de interiori Germania locutum pu-
tabis Tacitum, sed de Galliæ opposita. Quando creden-
dum minimè est, Germanos solos divinæ naturæ formam
captu suo augustiorem putasse, cum Sapientiores illam
non tantum humanæ figuræ incluserint, sed humanas etiã
res,

973A

res, ad divinae potentiae fastigium evexerint. Id quod non tantum decantatum Saxoniae Idolum Irmensula confirmat, sed & Germanorum Mercurium in agro Germanico inventum exhibet in *Thesauro Palatino Cl. Begeus pag. 16. seq.* Vid. *Adam. Brem. L. I. H. E. c. 6. p. 8.* Hanc vero Disputationem non ingredior, sed Germaniae potius Imaginem ex vetustis nummis selectam dabo. Invenias in Hadriani Numismate Germaniam nostram sub effigie Matronae savientis, hastam dextra laevaue scutum tenentis, qualem esse Poetae celebrant; Horatius *horridam & feram* appellat, *lib. IV. Od. 5.*

Germania quos horrida parturit foetus.

Item *Epod. XVI. v. 7.*

Nec fera & erulea domuit Germania pube.

Etiam Dionysius de Situ Orbis meminit ἀπειρανέων γερμανῶν *Martiorum Germanorum.* Vid. *Chabot. Comment. in Hor. pag. 346.* In alio autem Domitiani denario Fœmina seminuda clypeis insidet, pone Trophœum certis appensis armis, ibidemque captivus ingenti statura manibus à tergo revinctis, adscriptumque GERMANIA CAPTA. Vid. *Tarracon. p. 44.* Quod simulacrum ex Poëtis confectum esse nemo non intelligit. Sunt qui seminudam esse volunt, quod Germani abjectis vestimentis seminudi dicuntur pugnasse, hujus rei author *Polybius* est *lib. II.* cum tantam confidentiam iis fuisse dicit, ut braccis sagisque abjectis nudi cum solis armis primores ordines occuparent. Hac ratione quam expeditissimos fore sese rati, cum fenticeta alicubi offenderent, quæ dependentibus laciniis & vinculis adhaerentia, armorum usum impedirent. Quod similiter *Lucan. lib. I. Pharsal. v. 430.* innuere videtur:

Et qui Te laxis imitantur Sarmata braccis

Vangiones: Batavique truces.

Sed aliud indigitari videtur cum Germaniam captam num-

B 3

mus

mus simul exhibet. Devictos enim nudatos fuisse, Vestibusque & armis exutos constat, sic à Consule Romano Bojorum Regiante caeso detracta vestimenta esse, Vetustas loquitur. Vid. *Sil. Ital. lib. V.* & *Virgil. Æn. lib. XI.* Quod verò *seminuda* pingitur *Germania*, hinc est, quod minimè totam novimus illam subjugatam fuisse, nam *indomitum Rheni caput* Poëtis passim dicitur. Et *Claudian. Paneg. de IV. Consul. Honor. Aug. v. 457.*

Quis victum meminit sola formidine Rhenum.

Trophæum cum appensis armis victoriam Domitiani indicat, quam Carminibus suis ceu festam celebrat *Martial. lib. II. Epigr. II.*

Creta dedit magnum majus dedit Africa nomen,

Scipio quod victor, quodque Metullus habet.

Nobilius domito tribuit Germania Rheno,

Et puer hoc dignus nomine Caesar eras.

Quamvis hæc Victoria magis ex adulatione, quam veritate æstimanda sit. Expeditionem enim in Galliam Germanicasque, neque necessariam & dissvadentibus amicis inchoavit, inquit *Sueton. in vita ejus Cap. II.* At ubi perfecisse legitur? Auro redemit pacem, quod non victoris est sed victi, ceu probat *Beger. in Thes. Palat. pag. 703.* Ingens denique statura captivi molem corporis Germanis propriam indicat, cujus rei testimonia tum apud Poëtas tum Historicos plurima suppetunt.

§. VII.

Nunc in Italiam provehimur, quæ sedes Romanorum, Populorum omni ævo celeberrima fuit. Hæc si Geographicas imagines spectes assimilatur à quibusdam querno folio, id quod ex *Plinio refert Volaterr. Geograph. lib. IV. p. 58.* Ab aliis autem brachium constitui dextrum illius puellæ, cujus sub forma Europa delineatur, tradit *Ortel. in Thes. Geograph. Annot. ad Ital.* nec hoc inconcinnè fieri inquit

975

quit, ut enim totius corporis robur vires suas hoc mem-
bro ut plurimum exercet, ita hæc Regio totius quondam
Europæ potentiam Mundo, suo hoc lacerto declaravit.
Sed cum nobis Poëricæ tantum imagines evolvantur, hæc
veluti Regina Terrarum ac Domina, quondam, in Titi
Vespasiani Nummis ceu Virgo exprimitur Orbis Terræ
globo insidens, altera sceptrum seu Virgam, altera cor-
nu copiarum tenens, Caput denique Turribus ac Muris co-
ronatum. Vid. *August. Tarracon p. 43.* Quod Virginis seu
Fœminæ simulacro effertur, id cum aliis Regionibus com-
mune habet, nisi arbitrari velis Venerem hic effigiari, cu-
jus imaginem Æneas ex Sicilia portasse dicitur in Italiam.
Solin. p. 70. Sed cum Æneas nunquam videatur in hæce-
oras penetrasse, quod prolixè ostendendum sibi sumsit
Bochartus, haud absolum videtur illius sententiæ locum
relinquere. Terræ autem globo cum insidere, & manu
Sceptrum seu Virgam tenere cernitur, quid aliud indi-
gitari credas, quam latissimum hujus Gentis dominium,
tot Victoriis amplificatum. *Ovid. lib. II Fast. v. 685.*

*Gentibus est aliis Tellus data limite certo
Romane spatium, est Urbis & Orbis idem.*

Petronius Arbiter:

Orbem jam totum Victor Romanus habebat

Qua mare, qua terra, qua sidus currit utrumque.

Tum & cornu copiarum conspicias in effigie, quod Italiæ fer-
tilitatem notat arborumque benignitatem. *Tibull. lib. II.
Eleg. 6. v. 19.*

Roma Tuum Nomen terris fatale regendis,

Qua sua de cœlo prospicit arva Ceres.

Denique Corona turrita exornata est, cum neminem fu-
giat Oppidis Arcibusque hanc Terram abundare, quo
pacto eandem cum Cybele formam refert. Vid. *Beger. Thes.
Palat. p. 49.*

§. VIII.

38

§. VIII.

Hinc ad conterminam Veteri Celtiæ Pannoniam, pedem promoveo, quæ Regio, posteaquam Romani victricia arma latius circumferre cœperunt, tandem quoque præsidia eorum suscipere est coacta. Unde Nummus Decii Augusti circumfertur, in quo duæ refulgent Matronæ, cohortis insignia alterâ tenentes, alterâ verò Cælum ostendentes. Vid. Ant. Aug. p. 44. Duas illas Matronas, hujus Provinciæ divisionem, in superiorem nimirum & inferiorem, indigitare, vix est quod ambigamus. Hinc & Ovidius eam dispersam dicit Carm. ad Liviam v. 390.

Summaque dispersi per juga Pannonii.

Cohortis verò insignia manu prensata, dextris simul in cælum porrectis Victoriæ ab hac Gentè reportatæ Indicium esse autumo, quod quasi se dedat aut Pacem poscat. Quo & tendit locus Martialis lib. VIII. Epigr. XV. quando Domitiano eandem adscribit, simulque gratulatur:

*Dum nova Pannonici numeratur gloria belli
Omnis & ad reducem dum litat Ara Jovem;
Dat Populus, dat gratus Eques, dat Thura Senatus,
Et ditant Latius tertia dona Tribus.*

§. IX.

Jam Te Græcia fallax persequor, ut cum Flacco loquar. Adeò enim Græci ad fingendum & mentiendum proni sunt, ut universam propemodum Historiam fabulis suis obliterarint. Saltem nunc ut mille alia non attingam, Helenæ raptum ex involucris Poëticis protraham. Helenam autem Mythologi dicunt Tyndarei Græcorum Principis, (alii Jovis & Ledæ Filiam, Castoris & Pollucis Sororem) quæ à Menelao Spartorum Rege in Matrimonium ducta, præstantissimæ formæ gloriâ reliquis Græciæ Mulieribus antecelluit. Hanc igitur Paris Priami Filius, in Græciam profectus cum Navibus rapuit, sibi que junxit.

Vid.

Vid. *Triphiodori Poemâ de Troja Excidio per integrum*. Nos ex Historia fabulosa verum exculpimus, & Helenæ raptum de Insula Græciæ Helenâ in Mari Ægeositâ, Sporadibusq; annumerata, interpretamur, quia cum illa Paridem congressum fuisse ferunt, eidemque Nomen Helenæ dedisse. Vid. *Pausan. in Atticis l. 1. p. 79. Nat. Com. p. 668.* Omnia enim svavisime conspirant. Ex Ovo dicitur fuisse prognata Helena Mythologis, jam nemo nescit decantatissimam Poëtarum doctrinam, de Ovo Mundano, quod Simulacrum Telluris erat, ex qua, veluti benigna Matre, hæc insula fuit in lucem edita. Vid. *Th. Burnettus lib. II. pag. 286.* Fratres ejus Castor & Pollux nominantur, qui Dii Maris habiti sunt, quos in tempestate Nautæ solebant implorare, unde *Horat. lib. I. Carm. Od. 12.*

- Quorum simul Alba Nautis
Stella refulsit.

Certò indiciò, Fratres vicino admodum arctissimoque Vinculo Sorori (insulæ huic) junctos esse. Menelao autem nupta perhibetur, quo innuitur in Spartanorum Regis potestatem, pulcherrimam Insulam devenisse. Cum verò hic raptam intelligeret hanc insulam, non modo collecta mille Navium Classe invasisse Raptorem, sed & Helenam stricto gladio petiisse legitur, apud *Pausan. in Eliacis lib. V. p. 380.* Minimam quoq; natu Filiam nuncupant Helenam Authores, idq; ideo, quod perquam parvam & prope modum minimam inter Sporadas Insulam hanc nostrâ esse Geographi nôrunt. Tantæ autem formæ deniq; perhibetur fuisse ut absente Marito Paris ejus Suavitate allectus rapuerit illam, Trojanoq; excidio occasionem dederit. Paridem verò Trojanorum Ducem, Græcorum Terras hostiliter invasisse, vel hinc constat, quod Græci, hunc impetum vindicaturi, cum ingenti Exercitu, quæ toto quinquennio ex universa Græcia conscripserant, ad Trojam sunt profecti. Unde *Seneca in Troas v. 894.*

C

Tibi



Tibi (Helenæ) fluxit Asia fluxit Europæ cruor.

Vid. Coluthus *de Helenæ raptu*, atque ibidem *Note Neandri pag. 95. Dion. Orat. XI. de Ilio non capto.* Omitto nunc Clarissimas Græciæ Provincias, ut Thessaliam, quæ à Thessalo, Jasonis & Medææ Filio nomen sumsit, Jovemque & Palladem ceu Numina Tutelaria colit; Macedoniam, quæ ad Herculem & Thyenam suas refert Origines. Atticam denique cui Minerva & Neptunus præsidio sunt, de quibus prolixè Pausanias, Apollodorus aliq;

S. X.

Nemo autem miretur, quod in his persequendis tantam operam consumserim; Poëtarum hanc curam propriam putavi, nosse Ideas & Simulacra, quibus Regiones quondam oblectæ fuerint, ut adeò cum Carminis scribendi partes suscipiunt, ex rebus antiquis Descriptiones, Episodia & Digressiones mutuentur. Cum perlustrare potius quàm inspicere omnia per instituti rationem mihi liceat, in Africa quoque describenda, quid sibi indulserint Poëtæ videamus. Notitia Imperii Symbolum Africæ exhibet Mulierem binas utraque manu Spicas ostentantem & sub pedibus duas habentem Naves frumento onustas, in scriptis literis PROCOS. AFRICÆ, quem Metellum Pium Scipionem fuisse ex *Patini Numismat. p. 51.* edoctus sum, ubi idem ferè Simulacrum in Denario quodam obversatur. Spicæ, fertilitatem Terræ indicant, hinc eidem coronam Spiceam tribuit *Sidonius Africam in Luctu describens:*

*Procubuit læcerata genas, & cernua frontem,
Jam malè fecundas in Vertice fregit Aristas.*

Horat. lib. III. Od. 16.

Fulgentem Imperio fertilis Africa.

Rutilius Itiner. lib. I.

Quin & fecundas Tibi conferat Africa Messes.

Quod verò Naves frumento onustas exhibet Africa; Id
Sic

929

Sic accipimus, Romam magna ex parte sustentatam ex
Africa fertilitate, frugesque ex transmarinis Provinciis
abundè advectas, quare *Juvenalis Sat. 8. de Afris:*

parce & Messoribus illis

Qui saturant Urbem circoscena, nec vacantem.

Confer. Claudian. *in Stilichon. Panegy. II. v. 392. seq.* ac
Prudentius contra Symmachum *lib. II. Sect. 8. vers. 936. seq.*
Signantur & Nummi in Africa cusi, Leone nonnun-
quam, Elephanto & serpente. Vid. *Patin. in Numismat p. 51.*
& *Tarracon. p. 42.* Non Leonem sed Pantheram esse puto.
Nam Africam cum pelle Pardi comparat *Strabo lib. II.* quæ
habitationibus tanquam maculis sit interpuncta. Hinc
Afros Nomadas seu dispersos vocari notum est, qui sine
tectis passim ac sedibus vagi, habent potius Terras, quam
habitant. Vid. *Bochart. in Phaleg. lib. IV. cap. 33. p. 335.* Ele-
phas Africanus magnam vim eboris Romanis dedit, unde
ita Claudian. *lib. II. de Laud. Stilicon. v. 256.*

Tum spicis & dente comas illustris eburno,

Et calido rubicunda die, sic Africa fatur:

Serpens denique quid notat? innumeram in Africa Ani-
malium variorum copiam etiam Venenatorum, unde Pro-
verbium natum est, Africam semper aliquid apportare,
novi, in quibus commemorandis *Lucanus in Pharsaliciis*
multus est lib. IX. quem vide.

§. XI.

Antequam ex Africa discedamus fieri non potest,
quin Atlantem totius Africae fabulosissimum Montem,
intueamur, qui, quod Montibus fluviisque præcipuè e-
venire solet, Poëtis mira fingendi atque excogitandi oc-
casionem dedit. E mediis hunc arenis in cælum usque
attolli prodiderunt celebrati Authores, asperum, squalen-
tem, qua vergat ad littora Oceani, cui cognomen imposuit,
eundem opacum nemorosumque & Scatebris Fontium
rigu-

980
No 35 OK

riguum; qua spectat *Africam*, fructibus omnium generum sponte ita subnascentibus, ut nunquam satietas Voluptatibus desit. Miror verò adeò torqueri Mythologos in explicandis Fabulis de Atlante omnia enim ad hunc Montem revocari ingeniosè possunt. Fingunt Atlantem, quem per elegantiam Hominem dicunt, Cælum Hospitio excepisse, cum verò deprehenderetur in struendis Cælo insidiis, præcipitatum fuisse in mare, quod inde appellatum Atlanticum. Quis vero neget Montem hunc videri propemodum cum Cæli altitudine contendere? Populi verò circa Atlantem habitantes, Atlantides dicti, jactabant, primum apud se Deum Uranum regnasse; illud verò cælum est, quod Monte superius fuit. Porro duxisse Uxorem Titæam, unde multos filios suscepit Titanas, illud verò idem est ac dicere, Cælum ex Sole multos dies generasse. Denique Filias procreasse dicitur, quarum quædam Plejades à Matre Plione, quædam verò Hyadæ à Fratrem suo plurimum dilecto Hyâ appellatæ, quæ indicare videntur per observationes in hoc monte susceptas has stellas repertas fuisse. Denique huic monti Hominis Simulacrum affinxere, unde tam prodigiosa de eo passim leguntur: non Cacumen protendere sed *caput exserere*, non in nubes exurgere, sed *cælum Vertice fulcire*, non nivofus esse, sed *nives humeris portare*, ac *barba glaciem alere* perhibetur, ne Poëticæ elegantia quicquam deesset. Vid. Ovid. *lib. IV. Metamorphos. v. 658. seq.* item Virgil. *lib. IV. Æneid. v. 246. seq.* Jam reliquas Orbis cogniti partes perlustrare conantem retrahit rerum dicendarum multitudo. Namque de Æthiopia, Ægypto, sic & de Asiæ Regionibus Palæstina, Judæa, Arabia Indiaque & aliis egregia Poëtarum commenta supersunt, quibus insignem Geographiæ Lucem afferunt. Sed in his spatiis per instituti rationem diutius commorari non licuit.

W. A. M.

Q. N. 405, 6

IN

M. C



BUS
M,

ENRICO

VIUS,

EXCI.

TZIL



013

14



Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black